

650

Q. D. B. V.

PHYSIOLOGIA MORALIS

De

TEMPERAMEN-  
TORUM PROPENSIO-  
NUMQVE HUMANARUM  
CONNEXIONE

BENEVOLO

AMPLISS. PHILOSOPHORUM ORDINI  
CONSENSU

AD

DISPUTANDUM PUBLICE PRO-  
POSITA

a

M. GOTTFR. POLYCARPO  
MÜLLERO,

STOLBERG. MISN.

RESPONDENTE

JOHANNE GODOFREDO AmEnden/

Pegav. Misn. SS. Th. & Phil. Stud.

AD D. XVIII. MAJI A. C. MDCCVIII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

TYPIS HÆREDUM BRANDENBURGERIANORUM.

Physiol.  
15, 6.

Physiol. 15, 6.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



I. N. J.

PRÆLIMINARIA.

§. I.



Non uno homines feruntur appetitu, sed multifaria iis inest in oblatas res propensio, quæ voluntatem nunc ad hoc nunc ad aliud inclinatur. Abit hæc in multos rivulos, ex uno eodemque corruptionis fonte derivatos, quorum summa genera sapientes solícite investigant ac distinguunt, quoties de inclinationibus tractant, aut de affectibus, aut de hinc mirum voluntatis appetitus, quos quasi naturæ beneficio, ne scio an vitio, ab ipsa nativitate habemus, humanæ vel inclinationes dici consueverunt: iidem vero objectis externis excitati, & in actum (quod ajunt,) deducti, appellantur affectus. Quando hos aut natura aut aliæ supervenientes causæ induxerunt, & repetiti actus firmarunt, mores dicuntur, qui ad vitam bene ac decore ducendam faciunt plurimum. Hinc philosophi de civili felicitate in ethica præcipientes & morum & affectuum & propensionum naturam examinant, signaque constituunt, quibus & in nobis ipsis & in aliis cognoscantur, ut in nobis compesci, in aliis autem

autem temperari ita queant, ne veræ obfint, sed profint felicitati.

§. II.

*Hoc studium  
melius ad  
physicam  
quam ethi-  
cam refer-  
tur.*

Atque hic moralis sapientiæ locus apud alios ethicæ characteristica, sive doctrinæ de characteribus ingeniorum & dispositionum; (a) apud alios semeioticæ moralis; (b) apud alios cognitionis latitantium intus affectuum & propensionum (c) nomen titulumque accepit; cujus scientiæ scriptores nonnullos recenset Cl. Bure. Gotth. Struvius in bibliotheca philosophica. (d) Omnes autem, quorumcunque recordor, ethicæ partem eam fecerunt, ob usum, quem ad summum bonum & acquirendum & conservandum affert excellentissimum, obliti, moralem σοφίαν voluntatis quidem actus moderari, non vero tradere debere, perinde ut prudentia juris circumscribit libertatem actionum vagam, non tamen earum naturam accurate exponit, sed præsupponit. Et enim physica, vel ut quidam malunt, pneumatologia, voluntatem & ejus propensiones producit diducitque, sed easdem, aliunde notas, moderatur prudentia morum, quo ad harmonicum compositæ concennum, bono usui apponi possint & accomodari.

(a) v. *Lib. VII. Bac. de Verulam. de augmentis scientiarum C. III. & Theophrasti Characteres animi Lugdun. 1612. 8.*

(b) v. *Vincent. Placcii Comment. de morali scientiarum augmentis. p. m. 326. & 331. it. Scip. Claramontii Σημειωτικὴν moralis.*

(c) v. *Christ. Thomasi Wissenschaft / das Verborgene des Herzens zu erkennen / & Ejusd. Wissenschaft anderer Menschen Gemüther / prius Hale 1691. alt. ib. 1692. 8. editum.*

(d) a p. 120. ad — 127.

§. III.

*ex Conringii* Habeo consentientem virum post fata clarissimum, *etiam & Plac* Herman. Contingium, qui in præfatione ad Scipion. Claramontii testimonio, *montii librum* de conjectandis hominum moribus, (e) ita:  
Ego

Ego quidem, ait, artem illam morum cognoscendorum non aulim ethicæ philosophiæ ceu partem tribuere; sed singularem potius artem dixerim, qua & ethicus & politicus & orator, & in communi vita unusquisque in rem suam possit & debeat uti. &c. — — Et vero, ut in aliis variæ occupantur methodi & artes circa unum idemque objectum, sed diverso considerandi modo: ita & de affectibus quoque animi, non solius ethici est agere, sed accuratioꝝ eorum & vere ἐπιστημονικῆ) scrutatio opus est naturalis philosophi. Et huic fere ad stipulatur Vincent. Placcius in suo Comment. de Moral. scient. augmentis. (f.)

(e) edit. Helmst. an. 1665. 4.

(f) p. m. 331. 333.

§. IV.

Sane præter adductam causam connexio propensionum ut & ex connexionem humanarum (de quibus nobis imprimis sermo est,) cum temperaturis corporum probat, physicum esse opus de natura peramentorum inclinationum differere ex rerum fundamentis, quod influxum & propensionum magnum in morum tractationem præbet, ostenditque quasi num. que non separatam quandam physiologiam moralem, hoc est, φύσε- bis physiologίας temperamentorum considerationem talem, quæ horum emanationem in Dispositiones voluntatis & mutuam inter se ralem connexionem subinducat, in qua utraque inum cognitionis nostri aliorumque fundamentum latere jure suo meritoque habetur. Atq; hoc ipsum est, circa quod jam uberius nostra discurret oratio, quæ ne distorta sit, naturam temperamentorum curatius paulo exponemus, connexionem horum cum inclinationibus nostris, recte investigatis, subjungendo. Deo DEUS feliciter!

## CAPUT PRIMUM.

§. I.

**T**emperamentum, si laxè loquimur, dicimus quam cuncta Temperaque in certa proportione factam principiorum combinationem, laxè nationem primorum. Hanc & homines, & animalia accepta, in o-

A 3

cuncta

*in omnibus rebus  
compositis in-  
veniuntur;* cuncta, resque mundi omnes, quotquot compositæ sunt, possident; ex elementis quippe in eam, quam habent, formam omnipotenti manu compactæ. Unde fit, ut ad humanam mixturam relatæ, pro statu hominis aut naturali aut præternaturali, nunc huic bonæ, nunc malæ alteri evadant, imo uni eidemque noceant hoc tempore, conducant alio, licet earum habitude citra respectum peculiarem homini indifferens sit. Imprimis hoc apparet ex medicorum apparatu & doctrina, quæ rerum extra hominem temperaturas inquirendo, cum hominis mixtura ita confert, ut quænam hoc aut illo statu resultante eandem augeant, minuant, conservent, aut moderentur, declaret, & sobrie mixtas admoveat ipso exercitio, utpote quibus universa medicamentorum præscriptio superstruitur.

§. II.

*strictius vero  
accepta, tan-  
tum in ani-  
malibus, &  
in primis in  
homine;* Ita se res habet in non viventibus: in iis vero, quorum vitam recipiatio sanguinis alit, temperamenti notio videtur paulo compressior. Est enim succi sanguinei ex primis ejus principiis diversa facta commixtio, ita, ut semet invicem vi excedant, aliquo tamen modo se mutuo temperent. Nam in animalibus motus sanguinis vitam ducit, transfundendo eundem per constrictionem cordis (g) supra infraque in arterias, omnesque corporis partes, ad restitutionem aut augmentum particularum perpetuo transpirantium; & hoc modo ejus mixtura attendi maxime meretur, cum eadem per nutritionem misceat totum corpus. Particeps hujus est homo, cum cunctis animalibus, a quibus, si solum corpus intueris, adeo multum non differt. Nam & in his, perinde ut in hominibus, interdum nimius ignis regit & vigor, interdum terra & torpor, interdum aqua & inconstans fluxus refluxusque.

(g) v. Joh. Waleum de motu sangv. in fine Anatom. Thom. Bartholini, p. m. 802 seq.

§. III.

*cui a primo  
statim ortu  
insunt,* Quæcunque autem corporum humanorum (hæc enim jam curamus,) sit temperaturæ qualitas, ea jam a primo ortu ac natiuitate ipsis adfuit, cum ejusmodi dominantem principii ultimi

ultimi tyrannum quilibet ab ortu suo sub pectore sentiat; quoniam in utero materno prima corporis flamina ex massa parentum male temperata ita combinantur, ac succis ejusmodi extenduntur, quo rebellantia in vicem principia inibi regnent. Persuadet hoc mors omnium majorum, a quibus ortum generationis beneficio ducimus. Nisi enim prima compositionis principia ipsis fuissent inæqualia, atque exinde per pugnam collisa, quomodo quasi aut quare, id quod componebant, naturali morte collabefactum esset? mors enim est mentis a corpore discessus, quando hoc, gubernationi suæ ineptum, ob excedens nimium & cætera destruens principium, (b) linquere, tanquam inutile instrumentum, cogitur. Qui autem inæquale temperamentum habuerunt, quomodo liberis dare æquale potuissent? Persuadet hoc æque morbi infantum, quibus vel in primis suis habitaculis, vel mundi limen salutantes exercentur: nam morbum omnium origo est quoddam impugnans reliqua per nimias vires principium.

(b) conf. Eugen. Philaletha in *Anthroposophia Theomagica*, ed. Amstel. 8. 1704. p. 63. & 65. sq.

§. IV.

Ex hac morborum nostrorum & universalis mortis consideratione in apicem simul producit formalis ratio *Formam eorum* temperamentorum in mortalibus, post lapsum *rum, excessus* mortalibus, nimirum excessus virium unius *virium unius* summi principii præ reliquis, qui tamen magnus sit, nec *summi in* ne, hætenus nihil refert. Dixi excessus virium, quia ex his *mixtura* juscunque elementi effectus in homine pendet, non vero *principii* ex multitudine aut paucitate ejus particularum, sed potius ex relatione virium ad potentiam concurrentium principiorum, quorum plures forte numero particulæ adesse possunt, quanquam, ob majorem vim alterius, supremum dominatum in corpore non obtineant. Sic in omni sanguine fluor ejus plures particulas aqueas, quam quodque aliud in sanguine elementum de suis habet, requirere videtur: & tres sanguinis humani libræ XXXIII, fere liquoris uncias præbue-  
runt

runt naturæ curiosis in regia Parisiensium academia. (i) Non tamen propterea aqua semper creditur in sanguine prævalere, licet semper forsitan copiosior adsit. In promptu causa est: quia ignis ac terra, licet minor copia, major tamen viribus præ aqua esse consuevit.

(i) v. Joh. Bapt. du Hamel Historia reg. scient. acad. ed. Lips. p. m. 241.

§. V.

*finem vero moderatio su-  
premiis em-  
nentis, reiq;  
e o m p o s i t e  
c o n s e r v a t i o  
absolvunt; un-  
de definitio o-  
ritur tempe-  
ramentorum.* Ab eo igitur principio, quod superat viribus reliqua, ratio denominandi temperamentum sumitur, sua autem combinatione reliqua elementa supremum, quamdiu licet, temperant, ne machina humana, a tyranno hoc, cuncta intus de-  
*struente, monarchia universali affectata, ortu citius dissol-  
vatur. In hoc enim finis hujus admixtionis reliquorum  
principiorum consistit, a quo nomen mixturæ istæ accepe-  
runt, a temperando temperamenta dictæ. Temperant autem  
elementa, sive summa naturæ principia, quoniam sunt sum-  
ma mixturarum genera, quibus sanguis subjicitur. Quod si  
enim inferiora principia in combinatione attendere velles,  
temperamentorum infinita seges, velut ex equo Trojano,  
prodiret, quia non datur definitus numerus mixtionis prin-  
cipiorum. Ast quæcunque hæc sit, cum semper in corru-  
pta natura inæqualis sit, unum ex elementis supremum esse  
necessario debet. Hinc concludo, temperamentum in homine  
recte dici, succi sanguinei in corpore humano ex primis prin-  
cipiis factam compositionem, in qua unum quoad vires est  
supremum.*

§. VI.

*Numerus in-  
cidit cum nu-  
mero summo-  
rum in san-  
guine emi-  
nentium  
principiorum.* Idcirco tot habebimus temperamenta, quot principia ex-  
trema efficacia sua eminent in massa sanguinis. Quot autem  
sunt rerum omnium elementa? Nobis quatuor sunt, pervulgata  
in omnes, quæ, recte intellecta, res omnes creatas compone-  
re statuimus. Æther primum est, purissimæ natura sua & subtilis-  
simus, quieta & semper æquali ordinariaq; agitatione cuncta in-  
trans, pervadens, penetrans. Omnia in eo, utpote cõmuni spatio,  
moventur & movent se. Refertus variis innatantib; reliquorum  
elemento-



mentorū particulis aër audit, & pro harum multitudine vel raritate, nunc crassus, nunc subtilis, nunc purus, nunc impurus. Alterum est lux, vivacissimum rapidissimumque elementum, gyrante motu & inæquali effervescens. Partes aliorum principiorum attenuatas quasi & solutas, in motum agit secumque abripit, hac ratione ignem constituendo: quanquam lux atque ignis non raro promiscue accipiuntur. Restat aqua terraque, ex quibus illa particularum rotundarum & lævium centra sua propria nunquam non circum euntium, multitudo; (1) hæc vero particularum crassiorum, rigidarum, irregularium, minusque motui aptarum congeries, mihi quidem videntur.

(1) *Edm. Dickinsoni Physica vetus & vera, edit. Lond. c. XVII, p. m. 238.*

§. VII.

Hæc sunt ultima stamina rerum, & sic etiam sanguinis <sup>que sunt i-</sup>stri, quod ex iis prognata salia volatilia & fixa cum liquoribus, <sup>gnis, terra &</sup> in sanguinum solutione a D. du Verney reperta, (m) una cum aqua, nam aëro aqueo particulisque fibrosis & rubentibus, quas Joh. ther vel aër Clericus adduxit, (n) ad oculum demonstrant. Demon- <sup>numquam e-</sup>strant insimul efficaciam omnium elementorum percipi in san- <sup>minet.</sup>gvine, ætheris vero, aut si mavis aëris non percipi: quippe cujus nullæ reliquæ, effectusque sensibilis deprehendi nullus potest. Causa itaque inquirenda, quæ se sponte ex natura ætheris offert. Pervadit hic omnia, omnesque particulæ sanguinis ipsi innatant; transit etiam venas, carnem, cutem & cuticulam; interjacet omnibus omnium elementorum particulis; quieto semper & ordinario motu movet se & movetur. Igitur in omni quidem sanguine erit, sed æquali fere ratione & mixtura, undique enim penetrat: nec unquam efficacia ejus compescere reliqua principia poterit & hoc modo suprema esse, in quo tamen suprematu forma ponitur temperamenti, cum debilis ejus & quieta commotio agilitate ignis, aquæ fluxilitate, & pressura terreni ponderis facile supprimatur.

(m) *v. du Hamel, c. 1.*

(n) *v. Ejus Physica Vol. II, L. IV. C. IX. §. 9. 10. 11.*

B

§. IIX.

IIX.

*Hinc tria  
temperamen-  
ta.*

Atque hoc ipsum probat, ætherem in mixtura massæ sanguinæ attendi non adeo debere, quando ex illa tempera-  
menta eruuntur, quorum hoc modo non possunt esse quatuor, sed tria tantum; tria enim solum principia prima in sanguine viribus suis eminent, aut eminere possunt. Nunc numero invento, facies eorum pariter invenienda erit.

IX.

*Cholericum  
igni aut sul-  
phurea bili.*

Hic in sinibus venarum flexuosis, tanquam in cavernis terræ, reperta elementa, sal, sulphur & mercurius, hoc est, terræ, igneæ, & aqueæ partes, acutis meditationibus, velut cultro chymico, dissolvantur, oportet. Jam enim nimius ignis reliquorum principiorum vim excedens atque mensuram, vel, quod perinde est, nimium sulphur, hoc est, ignis, admixtis particulis terreis, multum fixus, multumque inflammabilis, massam sanguineam inhabitans, producit temperamentum, quod dicunt, cholericum sive bilosum. Quippe sulphurea vel oleosa sanguinis pars, quæ assidua viscerum & vasorum pressione, mutuoque ipsorummet sese agitantium exsolventiumque minimorum occursum & attritu, excussa a salibus & soluta, ac lymphæ crystallinæ interjecta, eaque irretita, vorticoso suorum globulorum, quorum sublutei alii, alii purpurei sunt, motu, colorem sanguini nomenque largitur, magis deinde discerpta confracta & divisa, unaque cum salium & terræ ramentis, aqueove, cui innatant cuncta, vehiculo, secreta a sanguinis massa, & propriis contenta ductibus, bilis nuncupatur, (o) aut cholera.

(o) v. Joh. Gottfr. Bergeri *Physiologia medica.* c. 11. p. 209.

§. X.

*per calida  
fervidaque  
qualitate;*

Quoties sic sanguini, cui per naturam suam inditum est fermentum aliquod sulphureum, accedunt superflue partes sulphuris, & principia alia vi supergredientes, motus ejus nimis redditur subitaneus atque effervescentia concitatus. Simul ac, levissima saltem impressione facta, in motum conjicitur, ardet ex templo universum corpus, quasi sacro fulmine

ne

ne tactum, quo ignea massa sanguinis cum omnibus per corpus particulis consentaneis, imprimis vero sulphurea bile, corripitur & ebullit. Hinc naturalis in hisce ad inflammabiles, acutos, convulsivos atque febriles morbos dispositio, bilis abundantia, lymphæ non raro, post potus potissimum validos, insignis defectus, corpus aridum aut tenue, nisi natura aquam copiose admiscuerit, citus arteriæ pulsus, vena non raro inordinate saliens, gressus agilis & vehemens, capitis frequens dolor, & quæ sunt alia cholericæ habitudinis signa physica, quorum nos potiora tantum adduximus.

§. XI.

Jam vero in sanguine excessu terræ vel salis puri, h. e. *melancholici* terrearum particularum, aculeatis cuspidibus pungentium, *cum terra* poros corporum intrantium, solventium, inter semet *aut salis puro* tamen juncturis factis pertinaciter concreescentium, componi *tarditate* tur temperamentum melancholicum. Quum enim cordis *sua;* subtilissima antlia sit præcipuum circuli sanguinis organon, ad hoc salini terreique succi copiosius justo deferuntur, ibique premunt machinam perpetuo mobilem, quæ illos per sanguinem in arterias transfundere, refundere, ac quaeversum propellere debet. Sufflaminatur tamen salinis particulis, ut difficilis ejus agitatio, & quia inclinationes & affectus inibi omnes habitant, tristium impressio- num diuturnior & profundior mora, h. e. melancholia fere exoriatur. Comitatur hanc mixturam lentus sanguinis gy- rus, cujus fluori terrenæ obices obiciuntur, torpor somni- que excessus, incessus lentus & cogitabundus, facies aridior, corporis frigus & ad morbos scorbuticos, & palpitationes cordis pronitas naturalis.

XII.

Jam autem nonnunquam nimia affluentia aquæ præ re- *sanguineum* liquis principiis, & mercurii ( qui nihil aliud videtur, quam ter- *aqua,* ræ, cum aqua intrinsecæ mixtæ, multo interjacente æthere, arctissima facta copulatio, ) in sanguine efficit id, quod dicunt, temperamentum sanguineum, quo sanguis cuicun- que commotioni facile obsecundat, instabili ac semper bul-

lante, non tamen rapido motu agitato. Abundantes particulae fluidae sanguinem multum, inconstanter fluxilem & aquosum gignunt, qui, vitali agitato motu, in suis canalibus ac receptaculis, praecipue vero corde & pulmonibus cum hepate, (p) massam suam adauget semper, inque arterias venasque dispellit. Effunditur haec ob aquositatem, nisi multo sale admixto figatur, facile in carnem, exin per ruborem, in facie imprimis, emicans: ex qua sanguinis copia temperatura haec nomen accepit.

(p) v. *Bergeri Physiol. C. IX. p. 158. sq.*  
XIII.

non vero a-  
bundantia  
salium,

Non ergo convenienter abundantiae salium attribui potest, (q) cum ex nimia aqua, sales stimulente & agitante, oriatur. Tamen si enim, pro naturarum, alimentorum & aeris varietate, magna quoque salium in homine diversitas esse soleat, tamen id multis argumentis constat, in cunctis hominibus sanis salem imprimis tenuem volatilem, sub olei paucique acidi temperatura, vigere, (r) qui sulphureis cholericorum partibus nimis agitur ac effervescent, quippe in quibus sales volatiles (vel, si mavis, salinae terrae, multis igneis atomis animatae, ) magis ac impotentius regnant; in melancholicis vero salibus consistentibus nimium quantum figitur; in sanguineis tandem excedente fluore fluctuando bullat & attenuatur.

(q) *Joh. Franc. Budaei Philos. Pract. P. I. C. II, Sect. III. §. 8.*

(r) v. *Berger. l. c. p. 154.*

§. XIV.

constitutione  
sua molli, in-  
constante, &  
succiplena o-  
ptime respon-  
dens.

In his aquosa fluiditas perennem inducit, velut maris, reciprocationem, aquae perpetuam ac naturalem, quam lenis quaedam titillatio comitatur: sanguis agili circumit cursu, venis non raro tumentibus, succo semper affluente irrigatur corpus, vegetum plerumque & obesum, ob alimenti succique abundantiam, pori ordinarie laxati pes expeditus, lymphae abundantia insignis, lubrica in flatulentos rheumaticosque morbos proclivitas. In locis fertilibus crinium erit matura sed tenuis procreatio, qui cholera excedente, vel pro-

xime

xime juncta, largius & crassius ob potentius fermentum efflorescere consueverunt.

§. XV.

Ita se habent temperamenta, quorum, pro numero *Qui quatuor* trium principiorum, ad compositionem humani sanguinis *temperamen-* concurrentium non tantum, sed & inibi vi sua eminentium, *ta statunt,* tria solummodo nobis sunt. Sunt tamen plurimi, pene dixerim omnes, antiqui junctim ac recentiores philosophi, qui quatuor commiscuntur.

§. XVI.

Quid enim, ajunt, est tibi illud, quod observavimus, tem- *addunt phleg-* peramentum phlegmaticum, ex abundantia seri præ reliquis *maticum;* sanguinis partibus frigidam humentemque componens indo- *quod tamen* lam, vix aliquo animi affectu facile concitandam? Verum *separatum* enim vero audiant hujus pertinaces patroni, quippe salva *a reliquis non* res est. Nam quid, quæso, est illud ipsum phlegma? ni- *est, quia in* hil sane aliud, ut ipsi fatentur, quam liquor insipidus & li- *phlegmate* mosus, h. e. aqua, multa terra argillacea, & aliquatenus vi- *vel aqua,* scosa, intime unita, aqueis tamen corpusculis inibi superio- ribus. Prævalet ergo in phlegmaticis temperatis aqua, pro- xime admixta est terra, quod perinde est, ac si dixisses, esse sanguineos, quoniam eminentis præ cæteris principium primum, non compositum, mixtum & inferius, uti phlegma est, nomen cuique temperamento imponit.

§ XVII.

Quin etiam demus, melancholiæ & cholerae, id est, *vel terra f. sal* terrearum & sulphurearum partium, proximam mixturam *fixum emi-* nonnunquam titulo phlegmatis, venire, ( *f* ) nihilominus *net,* tamen ab eo, quod præ cæteris eminet, (eminet autem semper unum,) principio, temperamentum denominandum erit, nec peculiare consingendum. Jam sive in phlegmaticis aqua sit superior, sive limosa terra, aut terrenus sal, cum cholera proxime unitus, oriatur in iis, nescio quod frigus lentusq; motus, quod ignea corpuscula, activitatis concitatoris causæ, vel ob paucitatem, vel ob prævalentis elementi tyrannicum jugum, effectum attingere nequeunt suum. Unde tales lente mo-

ti torpore nonnunquam involvuntur, ex quo proclivitas in ea, quæ Budæus (t) recenset, sponte sequitur.

(s) v. Chr. Thomasi Ausübung der Sitten-Lehre c. VII. §. 7.

(t) l. c. §. XIII.

§. XVIII.

*Erit ergo du-  
orum primo-  
rum princi-  
piorum pro-  
xima modi-  
ficatio.*

Quoniam autem in his nullius elementi vis usque adeo eminere videtur, a proxime juncto principio nimis re- tenta, quod tamen in temperamentis tribus reliquis, juxta i- psorum opinionem, semper fieri debebat, quartum admittere temperamentum voluerunt, licet re ipsa nihil aliud sit, nisi aliorum certa modificatio, qua eminens unius principii ro- bur, ab æquali fere potentia alterius ita attenuatur, ut su- premum effectus adeo sensibiles edere non queat.

§. XIX.

*Inferiores  
temperamen-  
torum modi-  
ficationes in-  
definite vari-  
ant.*

Atque phlegmatica hæc primorum principiorum mo- dificatio aurem vellicat, ut de aliis etiam modificationibus nonnulla addamus. Quemadmodum enim tria tantum sunt principia extrema, quæ in sanguine nostro eminere pos- sunt, & quemadmodum hæc varia proportione inter se mi- sceri, in inferiora quasi principia coagulari, variisque alterari accidentibus queunt, ita, ut tamen semper tria tantum ulti- ma principia maneant ac perennentur; pari quoque modo temperamenta tria non uno, sed numero fere innumerabi- li, modo semet sistunt, pro principiorum varia mixtura, tria tamen esse non desinunt. Habes terram lapideam. argillace- am limosamque; habes sal volatile idq; urinosum, aliud acidum minus volatile, aliud fixum; habes aquam insipidam, lapidifici- am, aliisq; rationibus affectam, & quæ sunt rerum naturalium genera, quorum catalogum incipere facillimum est, perte- xere vero ultra nostras vires. Perinde habes temperamen- ta cholericæ, quibus aqua vel terra; & temperamenta melan- cholicæ, quibus ignis vel aqua; nec non temperamenta san- guinea, quibus terra vel ignis, primo, secundo, tertio, quar- to, quinto &c. gradu admiscuntur: diversitate usque eo diver- sa, qua semet invicem principia hæc nunc propius nunc re-  
moti

motius attingunt, ut, si harum combinationum inferiorum numerum velles inire, tot constituendæ forent, quot mortalium individua, quia non datur definienda particularum sanguinis varietas, temperatio & motio.

§. XX.

Hæc nube obscuritatum temperamenta involvit, ut ex quibus non raro divinatoria virgula opus sit ad explorationem re-proxime mix-gnantis in speluncis corporum humanorum principii pri-te difficillime mi, imperantisque temperamenti: præcipue, si unum ex cognoscuntur-principiis prope attingit alterum, tertiumque adeo remo-tum a secundo non est, ubi, quod supremum sit, difficulter judicatur.

§. XXI.

Peperit ejusmodi propinquitas illos loquendi modos, *Quomodo* quibus hunc cholericum - sanguineum, illum melancholico-*exprimantur,* cholericum, istum sanguineo - melancholicum, & sic porro, *modificatio-* dicimus, prout jam hoc jam aliud elementum ad supremum *nes,* propius accessisse observavimus: in quibus formulis pro-ximum a summo principium titulo temperamenti, quod, si ipsum summum est, constituit, consuevit nominari. In his quippe duo elementa eminere videntur, aut certe invi-cem de suprematu manum conferere, quorum tamen pro-prie unum tantum regnat, eumque rebellantem agit civem, qui nos proprio tandem gladio jugulat, quamvis ipsum per omnem vitam titillando suggerendoque soveamus.

§. XXII.

Ex quo enim semel ejusmodi principiorum habitudi-*quodque per* nem induimus in maternis habitaculis, quæ ex varietate semi-*totum vitam* num & sexus, conformationeque organorum, queis succi *durent;* ad percolationem & elaborationem suam utuntur, ac per quæ diversimode feriuntur, non parum pendere videtur; ea tam arcte tamque intime combinata est, ut principia prima ad pla-cidam harmoniam ac consonantiam tota vita reduci neque-ant. Supremum tantas sibi vires sumsit, quantæ a reliquis non possunt destrui; reliqua servitute semet exsolvere laborantia, augent massam suam, quantum licet. Abripit illud homi-nem

nem

nem ad conformes sibi cibos potusque injurgitandos, quo hæc caput extollere nunquam, quamvis velint, queant.

§. XXIII.

*ita, ut nunquam homo sit omni ex parte sanus,*

Id quod, cum toto vitæ tempore duret, hominem nunquam omni ex parte sanum esse, collectu facillimum est, valetudine namque pulcherrima (ut quidem opinamur,) fruentes, ad morbos tantum graviores mortiferosque materiam colligimus. Quid? sanitatis adversarius eradicari ex viventibus adeo non potest, ut semel ad certa morborum genera, principii summi in corpore filias, proclives, tales maneant, dum vitalis calor manet.

§. XXIV.

*miseria hac etiam ab inferioribus principiis adaucta,*

Ast neque solis hisce, ex supremo principio fluentibus, premimur opprimimurque imbecillitatibus; pugna etiam inferiorum principiorum arietes admovet sanitatis arcis. Non habet exiguum in corpora vim atque efficaciam cœli nos ambientis solique genius, humorum in corporibus immutata paululum temperatura ex ætate, victu, valetudine, studiorum ratione, (\*) aliisque causis e. g. vitæ genere, motibus animi pariter ac corporis, somno, vigiliis &c. proveniens; quæ cuncta nunc supremum in nobis principium augent, nunc inferiora, licet, quod a primo ortu supremum fuit, de ponte dejecti nunquam queat. Accedit hac via ad naturales morbos infirmitatum insignis ex causis extrinsecis cumulus, ut

Mille modis lethi miseris morsuna fatiget.

(\*) Pufend. J. N. & G. L. I. C. IV. §. 5.

§. XXV.

*Grads ergo tantum non specie mutantur temperamenta;*

Nec tamen proprie dici potest, quod temperamenta tantum non mutantur, quasi unum in alterum vitæ tractu abiret, aut eo, quod semel eminet in homine, elemento depresso & profligato, aliud in thronum eveheretur; cum quæ natura sevit, (sevit autem temperamenta,) consuetudo, quæcunque sit, aut medicina, nisi ab ipso naturæ opifice parata, frustra eradicare annitatur. Temperamenta manent, ne furca quidem expellenda, principia tamen eadem combinantia, ut nunc pluribus nunc paucioribus a semet absint passibus, fieri potest.

Quoties



Quoties vero mutata videntur, toties cogitandum, exter-  
nas causas ætatis aut fortunæ obstare, quo minus perinde  
suas exercere vires, aut eo modo queant, quo ceteroquin ex-  
erere solebant & poterant.

§. XXVI.

Sic seres habet! Sic pugnantibus principiis compo-  
si, & quidem inæqualiter compositi, natura ducimur ad in-  
teritum! Corporis fabrica, elegantissima non raro, inæqua-  
litate constat pugnace elementorum: quam ipsam, demon-  
stratam hæctenus, læsamque per lapsum mixturæ proportio-  
nem, habeo jure meritoque pro morte corporis, peccati  
stipendio, quod nunc perpetuo in sinu nobiscum circumfe-  
rimus, quodque in omnes Adami filios filiasque per natura-  
lem propagationem transfunditur. Hic pater generis nostri,  
semel ex esu prohibiti fructus contracta læsæ proportionis  
principiorum contagione, per generationem non potuit non  
eadem inficere nos omnes: in quibus regnat elementorum  
discordia, inferioribus principatum affectantibus, aut certe  
æquilibrium, supremo tamen imperium suum strenue tuen-  
te, donec reliqua, debilitata nimis, succumbant penitus  
ac dissolvantur; unde mens eadem, ad ministerium suum  
obeundum prorsus inepta, deserit ultro, mortique tradit,

*quorum inæ-  
qualitas mor-  
tale corpus,*

XXVII.

Ast, ni lapsus contigisset, quæ non concordia vigu-  
isset principiorum, quæ antea, conspirantia amicissime perpe-  
tuitatem sempiternam compositi tuebantur? Quo non ga-  
visi essemus phlegmate puro & æquali, h. e. proportionata  
vitium principiorum & vere temperata mixtura? Quam  
non quietum lumen æthere purissimo interfluente frigus e-  
jusque principia ad motum æqualiter constantem ac modera-  
tum elevasset? Quo sensu, ut arbitror, in imagine proto-  
plastorum divina simul æquale temperamentum qualitatatum  
corporis nostri recensent theologi, quod ita acceptum, immor-  
tale corpus natura sua exhibuisset. Hoc enim non nisi æqualitas  
in principiis, h. e. temperamentum vere temperamentum,

*ut æqualitas  
immortale se-  
sit.*

C

absol-

absolvit, ex quo fundamento personatus ille Comes de Gabalis fictitiis suis elementorum spiritibus asseruit longævitatē, cum expertes qualitatū contrariorum, uno semper elemento constant, (v) si Numini placet.

(v) v. le Comte de Gabalis p. 26. 27.

§. XXVIII.

*Ostenditur*

*emanationibus  
in Theologia,*

Quo propius igitur temperata principia ad exactum æquilibrium accedunt, eo diuturnior serit machina, eoque sanius humanum corpus; quo potentius vero elementum multum prævalet cæteris, eo citior erit hominis ad interitum cursus. Post quem redibit resuscitatum corpus, & quidem πνευματικόν (x) quod per umbram quasi vides ac speculum, si principia corporis prima, purgata penitus & ad primam redacta simplicitatem, æqualiter combinata, sibi metque opitulantiæ tibi in mentis theatro sistis. Ex quibus omnibus labis primævæ profunditas in corpore, perfectioque corporis Adamici, habita attentione, rationi ex ratione aliquo modo revelantur.

(x) 1. Cor. XV, 44. & 53.

§. XXIX.

*transitus  
fit ad caput  
de propensionibus.*

Majora tamen apparent, & vere profundiora, si mentem nostram ejusque propensiones examinamus, quæ in homine sibi relicto non nisi rebellantes, cumque corporum temperaturis admodum conspirantes, cernuntur, de quo proximo capite sumus dicturi.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

*Dantur in  
omnibus a-  
nimalibus  
temperamen-  
ta anima-  
rum.*

Rigescerent quippe extremo stupore omnia, quotquot sunt, corpora, nisi materia eorum internis agendi principiis, de quorum spirituali aut materiali natura jam non dicendi tempus est, ad eum vitæ vigorem perveniret, qui ipsis de necessariis conservandæ machinæ totius mediis pro cujusq; modulo prospiceret. Ejusmodi principia in cunctis viventibus officium exercent, alia enim in usum trahunt & suo modo appetunt, alia repudiando fugiunt; hæc tanquã principia sua vel ex toto vel ex parte

parte disturbantia, illa tanquam eadem pari ratione vel firmitate vel augmenta. Quæ naturales principiorum in corporibus activorum dispositiones, res externas vel sub ratione boni secum unire, vel sub ratione mali abs se remove laborantes, animarum temperamenta, iis, quæ corpora temperant, respondentia, non inconcinne dici posse mihi quidem videtur.

§. II.

Multo aptius hæc animadvertere licet in micro-maxime in cosmo nostro, qui excellentiori agendi principio, ac humana diviniore incola, anima nimirum, inhabitatur, mente, quæ cujus nomine illud designo, quod in nobis cogitat, utcunque devult, & sentit. Nam sensationem non corpori sed menti inscribitur. esse, præter alia argumenta, vel ex eo probatur, quod non attendentes non percipimus aut sentimus, quodque sensatio ipsa genus cogitationis est: ( $\gamma$ ) est enim conscientia ejus, quod corpori per sensus imprimitur, eaque vel simplex, vel dolore, voluptate, & aliis affectibus necessario stipata. ( $\chi$ )

( $\gamma$ ) v. Clerici Pneumat. Sect. I. C. VII. §. 1.

( $\chi$ ) Conf. du Hamel Philos. vetus & nova P. I. Tr. III. metaph. Qv. II. p. 467.

§. III.

Divinissimam hanc particulam, junctam corpori, & hujus, Hæc, conservatio & sui ipsius conservationis cupidam esse, interna perceptio vationis cune edocemur, mediis ad hanc spectantibus optime instrupidissima, etiam. Adest enim intelligendi facultas, bona & mala cofacultatibus gnoscens, uti ardens semper appetitio, voluntatem dico, ad eam obtinendam, in appetendi vel fugiendi rem, prout bona aut mala judicatur, nendam, in priori tam arcte innexa est, ut sola cognitio aversationis structa est, aut appetitus expers, aut voluntas absque cognitione vix inprimis concipi, non dicam, efficienter dari queat. Utrique suo moluntate, eto, facultate quidem passiva, (aa) inserviunt, tum perceptio idearum prorsus incorporearum, quæ intellectio pura audit, tum perceptio rerum corporearum, sensatio paulo superius dicta: quanquam nonnulli puram intellectionem proprie intellectum nominent, cujus titulo alii & sensationis & intellectionis puræ facultatem comprehendere consueverunt,

uti sensatio, quando absentium rerum corporearum imagines  
fistit, phantasiæ aut imaginariionis vocabulo circumfertur.  
Hæ perceptionis species mentem rerum omnium, conserva-  
tioni hominis destinatarum, scientem reddunt; ut postmo-  
dum volendo se circa ea, quantum ipsi licet, possit deter-  
minare, id quod unde aut ex quibus principiis fiat, videndum.

(aa) v. Lockii Tentamen de mente humana. L. II. C. I. §.  
25. coll. Cler. c. 1. C. III. §. 4.

§. IV.

quæ, ideis re-  
rum bona-  
rum vel ma-  
larum deter-  
minata,

Quum vero mens, simul ac suam essentiam intuetur, non  
possit non conatum habere in eadem perseverandi, qui nihil  
est, præter ipsam essendi vim, quiq; ad mentem solam relatus,  
voluntas, ad mentem vero & corpus simul, appetitus, cupidi-  
tas, propensio vel inclinatio a multis philosophorum appella-  
tur; non obscure colligimus, mentem in determinatione  
sua, quæ volendo fit, repræsentationes rerum, conservationi  
conducentium vel contrariantium, sive per intellectionem  
puram, sive per sensationem, sive per imaginationem exci-  
tatas, h. e. ideas boni & mali, necessario sequi, nunquam  
enim essentiæ rei sibi ipsi est contraria. Quam ob rem, ait  
Cicero, (bb) simul objecta species cujuscumque est, quod bo-  
num videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura, id  
cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem  
Stoici ἐβλήσιον appellant, nos appellamus voluntatem. E-  
am illi putant esse in solo sapiente, quam sic definiunt: vo-  
luntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem  
rationi adversa incitata est vehementius, ea libido est, vel cu-  
piditas effrenata: quæ in omnibus stultis invenitur.

(bb) Tusc. quest. L. IV. p. m. 1180. edit. Gronov.

§. V.

mentis in vo-  
lendo exhibet  
temperamen-  
tum.

Hæc doctrina, non χθές ἢ πρῶτον, sed in veterum scholis  
nata, ostendit, esse principia volendi & nolendi ideas boni &  
mali, tanquam elementa prima voluntatem vel appetitum com-  
ponentia, eamq; varie modificantia, temperantia: usq; adeo ut,  
quemadmodum corpora humana nunc hanc nunc illam compo-  
sitionem, pro diverso materiæ componentis principio primo  
eminente,

minente, habent; ita mentes nunc hac nunc illa in volendo constitutione, juxta supremum in ipsis volendi vel nolendi principium primum, vel generalem de bono & malo ideam, gaudeant. Ac uti corporum diversas compositiones temperamenta corporum, sic mentium diversas constitutiones commode temperamenta mentium dicimus; quæ ultima, juxta demonstrata hæctenus, mentium erunt in volendo constitutiones, ex boni & mali ideis generalibus ortæ, quarum una, præ cæteris viribus eminent.

§. VI.

Videamus distinctius, quæ mentium temperamenta ingrediuntur, declarando quid velle sit, quid ideæ boni & mali, ipsumque bonum & malum, quidve illarum inter se eminentia, quæ conjunctionem mentis cum corpore a primo initio comitatur. Velle est, conari conjunctionem ejus, quod conservationi essentiæ favere percipimus, cui nolle opponitur, h. e. conari remotionem ejus, quod conservationi essentiæ contrariari percipimus. Boni præsentis perceptio lætitia, mali vero tristitia nominatur. Bonum est, quod essentiæ nostræ vere conducit, malum contra, quod adversatur.

*Exponitur  
velle & nolle,  
bonum & ma-  
lum.*

§. VII.

Verum enim vero bonum & malum non tam positivum quid in rebus, in se scilicet consideratis, indicant, quam relationem & comparisonem qualitatum cum nobismet ipsis, ita, ut hoc nunc uni eidemque conducatur, nunc nocent, eademque res possit eodem tempore bona, mala, & indifferens esse, e. g. musica, bona melancholico, mala lugenti, furdo autem indifferens erit. Ita de re judicamus, prout præsentem nostrum mentis vel corporis statum afficit; nam hujus proxime sumus conscii, cum mens per perceptiones immediatas & mediatas sui sui que corporis conscia reddatur. Ponamus hominem magnæ existimationis idea affici; si ideæ de potentia sua & perfectione excitatu in ipso faciles, & multitudine statim concurrentes, simili idea irritantur, gloriam maximum bonum æstimabit: sed contra, si mens,

*quod non tam  
positivum  
quid in rebus  
ipsis est quam  
rerum exter-  
narum ad  
præsentem  
nostrum  
mentis vel  
corpori sta-  
tum relatio.*

C 3

nullis

nullis obruta fastus speciebus, nova superveniente levius concutitur. Finge insignem cantantium concentum alicujus aures ferire; si molitiei in sensibus idea altas egit apud ipsum radices, ut leviter irritata cum impetu profiliat, bona ipsi erit musica, quam aliter constitutus susque deque habebit. Nec unquam eum, cujus mens idea quæstus occupata est, pecunia, vel quæcunque res, quæ in possessionem cogi potest, aliter, quam sub ratione boni, affecit.

§. VIII,

*Mens enim format sibi nature humane exemplar, cum quo confert omnia, componens ex in boni definitiones, quæ principia volendi vel ideæ boni commode dici possunt.* Ex his diversis hominum de bono (nam hoc investigato malum, tanquam oppositum, obscurum esse non potest, quare imposterum de bono solum locuturi sumus,) judicium intelligimus, quod quilibet hominum sibi naturæ humanæ, sive essentia suæ, non satis notæ, exemplar format; postmodumque naturam rerum, quam extra se & sphaeram suam positam non nisi pro modulo impressionis, qua per ipsam affectus fuit, cognoscit, cum illo conferat; & prout rem ad exemplar suæ naturæ, ab ipso formatum, conservandum aut perficendum percipit, ita eandem vel nolendam vel volendam esse judicet: judicare autem esse volendum & velle (quoad actum,) idem est. (cc) Oriuntur ex in variæ in hominibus boni definitiones, quarum hæc promptior & expeditior succurrit altera, ita, ut quilibet definitionem promptissimam, sibi que persuasissimam, utpote quam maxime convenientem cum naturæ suæ exemplari, ab ipso formato, vix animadvertens, simul ac exurgit rei cujusdam, sub illa comprehensæ, idea sequatur; nam & ipsa, simul ac rei, ad eam pertinentis, specie illustratur, ex templo ceu naphtha, candela vel elonginquo accedente, totam mentem totumque corpus motu corripit; qui conatus inclinatio vel propensio naturæ dicitur, & nobis, respectu temperaturæ, qua mentem in volendo determinat, mentis temperamentum. Erunt ergo variæ boni definitiones in mente humana, ideæ boni, de quibus superius diximus, quod

principia volendi sint; res autem quaelibet, cui una ex illis a mente applicatur, bonum.

(cc) v. Clerici Pneumat. Sect. I. c. III. §. 17.

§. IX.

Omnibus his boni ideis vel principiis volendi hæc *quarum una* quasi prima materia substernitur: quicquid me afficit, ut *quasi materia* conveniens cum exemplari naturæ meæ, quod egomet for- *prima est, ut* mavi, bonum habeo. Atqui exemplar hoc vel ex relatione *reliquæ qua-* nostræ naturæ ad summum ens, Deum videlicet, hujusque *tuor elemen-* cum illa communicatione componitur, unde idea boni, *ta vel idea ge-* quicquid me afficit idea communicationis cum ente supre- *nerales.* mo, illud exemplar essentiaæ meæ refert, bonumque est: vel ex relatione humanæ naturæ ad communicationem cum rebus creatis, quæ triplici modo fit, juxta triplicem afficiendi modum. Vel enim afficiunt mentem, idea perfectionis virium nostrarum, unde idea boni; quicquid me afficit idea potentiaæ & virium mearum, essentiaæ meæ exemplar refert, & bonum est: vel idea sensuum externorum eorumque mollis tactus, unde boni idea; quicquid me afficit idea mollis tactus sensuum externorum, refert exemplar essentiaæ meæ, & bonum est: vel idea possessionis rerum infra nos positarum, unde boni idea; quicquid me afficit idea acquirendi & possidendi res infra homines positas, essentiaæ meæ exemplar refert, & bonum est.

§. X.

Quatuor hæc principia, volitionum omnium prima *In sunt hæc* elementa, cunctis insunt, cum in homine, parvo scilicet *cunctis ex* mundo, omnium rerum simulacra possint excitari, quæ *hominibus,* similibus amant conjungi, aut non eodem in omnibus mo- *sed modo di-* do, nec gradu. Semper unum promptius & frequentius *verso, cumq;* adest, sic, ut mens de aliis minus cogitet, ac propterea *perpetua u-* iisdem parcius in applicatione utatur, quanquam uno ex in- *nus eminen-* ferioribus frequentius altero. Quæ ergo boni idea prom- *tia, qua tem-* ptissima frequentissimaq; in cujusdam mente est, uti semper, ex *peramenti* perientiaæ testimonio, quædam est, eminere in ipsa, vel eminens *mentis for-* propensio sive inclinatio dicitur: quæ eminentia inter sese for- *ma absolvi-* mam *tur:*

mam temperamenti mentis in volendo constituit; cum enim una alteram promptitudinis ac frequentiae viribus excedit, modificatur voluntas vel desiderium, & juxta hanc principiorum inaequalem combinationem temperatur.

§. XI.

*parium enim virium esse non possunt,* Etenim quomodo parium esse virium possent, cum hac ratione nulla daretur unius objecti ad quoddam principium boni, ab altero, ad aliud quoddam pertinente, in voluntate electio, neque affectuum invicem in homine sibi relicto temperatura, quae in suscitatione contrariae boni vel mali ideae consistit? verum simul ac junctim nobis diversorum volendi principiorum objecta sistuntur, statim uni ex illis primas, secundas vel tertias partes damus; quilibet nempe juxta regnans in mente boni principium.

§. XII.

*in equalitate hac jam mentis corporisve conjunctionem comitante.* Quid quod haec inaequalitas, & unius praeter altero praerogativa, tam profunda in nobis sit, ut non totam vitam solum, sed etiam vel ipsam mentis corporisve conjunctionem comitetur, licet non statim actu secundo, ut loquuntur, sed actu primo: si quidem mens suas potentias non prius ac habilia videt ad easdem instrumenta in actum deducit & effectum. (d d) In infantibus jam videmus unam ex recensitis boni ideis dominium exercere, quod non nisi cum morte deponit, hoc voluptati magis, illo honori, isto avaritiae litante. Haec namque sunt principia volendi, quae determinant voluntatem, voluntas autem est ipse conatus perseverandi in essentia, vel vis essendi, vis autem essendi, simul ac vera & integra adest rei essentia, abesse non potest; ergo ideae boni & mali, & ex ipsis necessario resulantes propensiones, menti in propria post depravatam naturam essentia constitutae (qualis dubio procul erit in conjunctione cum corpore,) inhaerent *ὄπερ ἔδει δεῖξαι.*  
(dd) v. Dickinson. Phys. V. & V. c. XI. §. 41.

§. XIII.

*Diversa au-* Sed unde oriuntur ejusmodi humanae essentiae diversa exem-



exemplaria, quæ boni & mali ideis a tenerrimis statim unguiculis ortum dant? Sane cum primum mens in se ipsam reflexa, & cognitionis essentiæ suæ cupida, de eadem exemplar sibi formare studet, cui omnia, totum hominem afficiencia, conferat; offendit in se aliquas potentias, sepultas quasi antea, rebus extra voluntatem positis excitari, ita quidem, ut una multo vehementius concutiatur quam altera, prout una eademque hanc mentem turbulentius, remissius alteram exercet: est namque homo naturæ totius pars, quæ in ipsum juxta leges suas agit. Cum sic, violentiæ impressionis impar, potentiam quandam, ut potentiam communicandi semet cum summo bono, h. e. Deo, aut sensus externos titillandi, aut excitandi suæ potentiæ ideam, aut in possessionem trahendi res inferiores, vehementius percipit excitatam, in ea perfectionis vel essentiæ suæ exemplar vel ex toto vel ex parte ponit, quoniam in hac vim suam primum animadvertibat. Imo quam in se potentiam vehementissime excitatam percipit, in ea maxime ponit essentiæ exemplar, h. e. refert ad eam cuncta, & ex in boni ideam æstimat, vel quod nimia subjectorum ejus impressio & efficax præsentia oblivionem aliarum potentiarum & boni idearum inducat, vel quod ad easdem facile recurri posse opinetur.

§. XIV.

Quandoquidem vero potentia communicationis cum summo ente ideam excitandi ob ejus debile in nobis semen & mitissimam impressionem, quam leni auræ vel purissimo ætheri comparabimus, licet sit divinissima, & non nisi cum demississimæ laudis præfatione nominanda, lenissime afficitur; ut attentione opus sit ad eam percipiendam; hanc tanquam nimis exiguam, aut quasi nullam, fere non animadvertit per versa hominum mens, nisi meditationibus multis somno soluta; licet omnibus omnino rebus suo modo excitetur. Quare hæc in censum propensionum veniat, & superficialia ut plurimum animi attentio, & communis hominum usus prohibent, quibus propensiones in reliquis tribus potentiis, vehementius excitatis, & ex iis resultantibus boni ideis, ponuntur: per-

*tem humane  
essentiæ ex-  
emplaria,  
ideaque bo-  
ni generales,  
ex potentiis,  
quæ rerum  
ad eas perti-  
nentium mo-  
vent ideas,  
rebus extra  
voluntatem  
vehementer  
excitatis ori-  
untur. Cu-  
jusque poten-  
tia excita-  
tur vehemen-  
tissime, ea  
eminens erit.*

D

inde

*nec tempera-  
mentum ingre-  
di mentium,  
quorum hac  
ratione tria  
tantum sunt,  
ob tres vehe-  
menter exci-  
tatas potenti-  
as.* inde ut in antecedente capite ætheré ob lenissimam in sangui-  
ne, & non satis sensibilem vim, ex numero principiorum, in  
sanguine regnantium, exclusimus. Sicut enim hic nunquã effica-  
cia sua in sanguine, perinde illa nunquã vi sua in voluntate (na-  
turali sibi; relicta,) eminet, in quo tamen formam tempera-  
menti & corporis & mentis positam esse superius suo loco de-  
monstravimus. Habes ergo tres potentias, vehementer re-  
bus externis, (quibus omnia, extra voluntatem posita, annu-  
tantum sunt, mero,) excitatas, magis tamen in uno, quam in altero: hoc  
est, habes tres generales boni ideas, & tres inde propensio-  
nes, quibus animus a se ipso disfidens, secumque discor-  
dans, gustare partem nullam liquidæ felicitatis & liberæ pot-  
est, nisi a studiis primæ boni ideæ, quam discriminis ergo  
pulum vocamus & tranquillum amorem, proficiatur.

§. XV.

*Causa, cur hæ  
tam vehemen-  
ter move-  
antur facilis  
non est,* Dabimus nunc rationem, cur tres inclinationum po-  
tentia tam vehementer nunc in hac nunc in alia mente ex-  
citantur; rogantes prius, ut quilibet legentium cogitet, non  
omnia pro certissimis venditari demonstrationibus; cum ma-  
xima pars eorum, quæ circa mentes nostras scimus, sit mi-  
nima eorum, quæ penitus ignoramus, & is, qui optima  
propinasse sibi nonnunquam persuadet, non raro postmodum  
experientia edoceatur, quantum sit apud ipsum in rebus inane:  
est enim hic, si unquam, facilius refutare quam demonstrare.

§. XVI.

*ex intima ta-  
men corporis  
mentisq; con-  
junctione de-  
rivanda, que  
in mutua de-  
terminatione  
consistit,* Nobis autem sic videtur: tres illas in mentibus po-  
tentias non nisi interveniente corpore excitari, causamque ve-  
hementioris motus præ illa, quæ prima est, ex intima corpo-  
ris mentisve conjunctione esse derivandam. Cujus forma-  
lem rationem in obscuro habitantem, ut non solum ex im-  
mediato & perpetuo Dei ad illam concursu, sive ejus conti-  
nua efficaci voluntate cum Herman. Alexandro Roëllio, aca-  
demia Ultrajectinæ professore in Theologia celeberrimo,  
(ee) aliisque quamplurimis deducendam existimemus, faci-  
unt mutua mentis & corporis in semet actiones sive determi-  
nationes, quas illi cum Benedicto de Spinoza (ff) penitus  
negant, contra easdem, tanquam ineptias, insurgente.  
Quoti-

Quoties vero res externa menti, corporis interventu, imprimitur, toties non ejus tantum, sed simul habitudinis corporis, in quam per illam coniectum est, idea imprimitur, quam sane non res externa, cum non possideat, impressit, sed corpus, quamque mentem multoties determinare non absimile est, cum mens rem externam non propter ipsius ideam appetat vel fugiat, sed propter modum, quo simul corpus, perque hoc mens ipsa, afficitur. Addo, ex eo, quod corpore inerte mens cogitare non potest, nam cum corpus somno quiescit, ajunt illi, mens simul cum ipso sopita manet; quodque mens non semper æque apta est ad cogitandum de eodem subjecto, sed prout corpus aptius est, ut in eo vel hujus vel illius imago excitetur, ita etiam aptior est ad hoc vel illud objectum contemplandum; ex eo, inquam, quo Spinoza pro sua sententia utitur, contrarium potius concludendum est, corpus, non vero res alias, in ejusmodi occasionibus mentem quodammodo determinare. Quod autem mens corpus non raro determinet, omnes actiones voluntati subjectæ, & affectus lætitiæ tristitiæque in ægrotis, (gg) qui multum ad efficacem vel inefficacem usum medicamentorum conducunt, nec non evigilationes nocturnæ, certis horis factæ, postquam somno proximi alte necessitatis earundem ideam menti impressimus, aperte insinuant. Videtur ergo conjunctio hæc respectu corporis consistere in impressione suarum habitudinum, quibus a rebus aliis afficitur, cum ideas de se menti, corporis interventu, imprimunt; si enim alia corpora excitant sui ideas, cur non etiam corpus humanum, licet de ratione ortus idearum respectu hujus & illorum continua sit inter philosophos animorum fluctuatio? Ratione mentis vero consistit in perceptione ideæ corporis sui ejusque affectionum, juxta quam vel obscuram vel claram nunc motum nunc quietem talem vel talem imprimat, nisi Causa extrinseca impediatur. Qui motus nemini improbabilis esse potest, cui Deum, summum Spiritum, materiam movisse, & ex necessaria consequutione spirituum naturam simul in motu materiæ ponendam esse, ex naturæ libro perspicuum est.

D 2

(ee) conf.

(ee) conf. *Memoires de Trevoux*. T. V. p. 185.

(ff) v. *hujus Ethica* P. III. Prop. II. p. 97-100.

(gg) v. *Joh. Wilh. Pauli Disput. de animi commotionum vi medica*, hab. Lips. 1707.

§. XVII.

*ab hominum*  
*conceptione*  
*& generatio-*  
*ne orta.* Hunc determinationum fluxum refluxumq; in hominū con-  
ceptione & generatione non statim oriri non obscure percipi-  
mus. Est enim jamjam in tenerrimis infantibus rationalis anima,  
quia statim imaginatio matrum phantasias suas imprimat in-  
fantum imaginationi, & inversa vice, uti duo specula radios  
mutuo reflectunt; id quod eorum exempla docent, qui ad  
mures vel strictos gladios, quibus matres concipientes  
perterritæ fuerant, naturæ ductu exhorrescunt, prout matri-  
bus non infrequenter ex infantum turbida imaginatione in-  
ordinatus rerum appetitus salit: ubi vero est imaginatio hu-  
mana, ibi erit mens humana. Imo doctissimus Oxonien-  
sium medicus, Edmundus Dickinsonius, plus quam vero-  
similiter probavit, interveniente calore æthereo, qui animæ  
præsto est, quamdiu manet in hoc parvo mundo, mentem hu-  
manam proli generationem & inchoare & perficere, hinc se-  
met ipsam illi unire, quanquam prima spermaticarum par-  
tium delineatio fiat a Deo; (hh) cui tantum non calculum  
adjicit celeberrimus Johannes Rayus, cum ipsi corpus hu-  
manum, vel plastica quadam natura media, vel anima sen-  
sitiva spirituali, in utero perfici, ex Henrici Mori & Cud-  
worthi principiis, probabilissimum videatur. (ii)

(hh) *V. hujus Physica* V. & it. e. XI. §. 13-17. it. §. 23, 24, 27, &  
34-37. coll. p. 188. §. 20, 31.

(ii) in libro suo: *The wisdom of God, manifested in the works*  
*of the creation* P. I. edit. 2d. p. 40-45. coll. p. 30-40.

§. XVIII.

*In qua mens*  
*percipit emi-*  
*nentiā in-*  
*corpore prin-*  
*cipia prima,* Quæ cum ita fiat, verosimillima autem sunt, eodem  
probabilitatis gradu exin deduci potest, quod mens, ut  
primum incipit juxta primam spermaticarum partium a Deo  
factam delineationem corpus exstruere, temperaturæ mas-  
sæ materialis, quam inæqualem & male compositam esse  
supra

supra (kk) ostendimus, per ideam, sive claram sive ob-  
 scuram, interno sensu conscia reddatur. Certum autem est,  
 semper unum in hac massa elementum vi eminere, & pro-  
 pterea vehementius illam animi potentiam, quam aliquo mo-  
 do dererminare potest, impressione sua excitare; unde mens  
 statim augmenta eminenti elemento, quantum potest, suppedi-  
 tat, quia ob errorum semina, quæ a materia irritata progermi-  
 nant, eo quandam sui potentiam magis elatam & auctam pu-  
 tat, donec tandem materiali hoc laqueo se ipsam magis  
 magisve capit, ut postea, ubi res externæ, cum eminenti  
 principio similitudinem aut propinquitatem habentes, tur-  
 bulentius semet, adjunctæ ejusdem abundantanti in corpore vi,  
 insinuant non satis queat resistere, sed ob subitanam,  
 frequentem & stabilem repræsentationem in potentia, tunc  
 excitata, perfectionem suam optimam & essentiæ exemplar  
 ponat, idque confusa idea sequatur.

*horumque, &  
 rerum con-  
 sentanearum  
 impressione  
 tam furiose  
 determina-  
 tur.*

(kk) C. I. §. 3. 4.

§. XIX.

Habere autem res externas vim movendi in nobis po-  
 tentias, aut titillationis sensuum externorum, aut poten-  
 tiæ nostræ, aut rerum domini patientium ideam exci-  
 tandi, experientia satis loquitur. Si igitur hisce potentiis  
 inservientes materiales particulæ, h. e. principia temperamen-  
 torum, una cum rerum externarum impressionibus, men-  
 tem feriunt, non possunt non illæ vehementius excitari,  
 mentemque inclinare multo furiosius, præ illa, quæ ad sum-  
 mum bonum tranquillo amore ducit, quæque nullas con-  
 venientes in corpore particulas habet, nisi ætherem velis no-  
 minare, vi sua tamen nunquam inibi eminentem, sed sem-  
 per debilissimam. In quo nunc unum temperamentum, vel  
 summum corporis principium, eminet, in eo respondens hu-  
 ic potentia vehementius, rebus ad eam pertinentibus, exci-  
 tatur, sive consentanea propensio vel mentis temperamen-  
 tum regnare a primo ortu confuevit.

*Res enim ex-  
 terne move-  
 re possunt tres  
 illas potenti-  
 as, & corpo-  
 ris principia,  
 illasq; in pro-  
 pensionum si-  
 ve mentis  
 temperamen-  
 torum evehe-  
 re numerum.*

§. XX.

Distingui tamen conceptu eient propensio & mentis *Differunt*  
 D 3 tem-

quadam ra-  
tione propen-  
sio & mentis  
temperamen-  
tum, aliata  
men promi-  
sue usurpan-  
tur,

temperamentum, licet exercitio semper conjungantur. Tem-  
peramentum mentis supra, (H) juxta rationem temperamen-  
ti corporis, (mm) definivimus, constitutionem mentis in vo-  
lendo, ex generalibus boni & mali ideis (quarum originem  
& naturam hoc caput (nn) explicavit) ortam, (statim scili-  
cet in mentis corporisve conjunctione,) quarum una præ cæte-  
ris viribus eminet, (ob vehementiorem motum potentia, qua  
nititur.) Nimirum temperamentum, quod a temperando di-  
citur, putavimus totam inter se constitutionem trium, &  
volendi in mente, & vivendi in corpore, principiorum de-  
nominare. Propensio ergo, vel inclinatio mentis, proprie-  
erit illa generalis boni idea, quæ, voluntatem maxime de-  
terminans, efficaciter præ aliis eminet, a conatu, quo mens  
vi ejus, in res ipsi subjectas fertur, sic dicta. Cui in corpore  
respondet eminentis elementorum principium, quod illius vim  
& robur constituit, non inconcinne nifus & quasi inclinatio  
corporis dicendum, licet temperamentum, ad corpus relatum,  
& hanc, & totam trium principiorum inæqualem propor-  
tionis mixturam, indicare consueverit. Hinc nos & propen-  
sionem sive inclinationem mentis, & harum trium inter se  
inæqualem temperaturam, mentis temperamentum & di-  
ximus & dicturi sumus, cum ipso exercitio coalescant,

(ll) C. II. §. 5.

(mm) v. c. I. §. 5.

(nn) a §. 6. ad 19.

§. XXI.

semper distin-  
cta ab affecti-  
bus.

Utraque non confundenda est cum affectibus, qui sunt  
commotiones transeuntes inclinationum, idearumque boni  
& mali in nobis perpetuo regnantium, ex impressione re-  
rum externarum turbulenta, violento sanguinis motu jun-  
cta, ortæ, nostram agendi potentiam augentes vel minu-  
entes, juvantes vel coercentes: brevius, sunt illæ rerum ex-  
ternarum impressiones, earumque in nobis ideæ, quæ incli-  
nationes violenter in exercitium conjiciunt. Transeunt er-  
go affectus, propensiones manent, proxima nostri discursus

fus materia, quorum nunc connexio cum principiis, vel  
temperamentis corporum, specialius describenda erit.

§. XXII.

Si enim mens in prima spermaticarum corporis partium *Primum ergo*  
structura inq; succis nutrientibus, quibus extenditur, ignis prin- *mentis tempe-*  
cipium, sive sulphuream bilem eminere percipit, percipit si- *ramentum vel*  
mul ejus qualitatem. Quæ rapidissima est maximeque activa, *propensio est in*  
menti insignem corporis ptenentiam mentiens, sanguinem & *nostræ poten-*  
arteriarum pulsum agitans, accendens nervos, qui non possunt *tie idea, &*  
non in capite, primo corporis centro physico, regiaque ner- *ambitio dici-*  
vorum & judicii sede, hoc maxime ad dignitatem produce- *tur, cum cho-*  
re. In mente igitur, quæ hæc animadvertit, necessario poten *lerico corpo-*  
tia, virium suarum ideam excitandi, irritatur, & quidem ve- *ris tempera-*  
hementissime irritatur, ut eadem percussa exin & essentia *mento conne-*  
suæ exemplar & boni ideam metiri advescat. Quod si res *na.*  
externæ, similem excitantes ideam, per ejusmodi corpus,  
ignei interventu principii ad mentem deferuntur, corpore  
semper habitudinem, in quam per rem externam conjectura  
est, simul cum idea rei externæ, imprimente, necessario o-  
ratur duplex impressio, majorq; ideæ de potentia sua vis, men-  
tisque turbulentior status, ita ut hæc idea sulphuream bilem,  
hæcque illam reciproco actu accendat. Quid vero ex his  
aliud quam prima propensio & mentis temperamentum? h. e.  
ejusmodi mentis in volendo constitutio, quæ in res, huma-  
næ potentiaæ ideam excitantes, turbulento conatu fertur,  
ambitio vel honorum cupiditas dicta; quæque penitus, in in-  
terna de potentia nostra persuasione consistens, temperamen-  
to cholericò respondet. Cuncti quippe hujus participes, fre-  
ti viribus suis, æs quasi circa pectora gerunt, putantes:

Si fractus i labatur orbis,  
Impavidos ferient ruinae.

§. XXIII.

Terræ autem, sive salis puri, in corporis stamine excessus, *Secunda pro-*  
ejusque in mente perceptio, boni ideam producit plane ali- *pensio ava-*  
am. Ejus namque partes, juncturis factis pertina *ritia est, pro-*  
cisi-

*pria possessio-  
nis idea con-  
stans, respon-  
densque tem-  
peramento  
melancholico*

cissime coherentes, mentem coherentiæ suæ cum rebus ad possessionem aptis consciam reddunt, aut sollicitant potenti- am, quæ possessionis rerum propriæ ideam producere so- let. Quæ idea, semel exorta, si in secundo quasi corporis centro, propensionumque primario domicilio, corde nimi- rum, voluntatem ferit, alte hæret, sanguine per pendulam & maxime mobilem cordis machinam lente transfuso, aucta- que impressione rerum, quæ possessionem subire possunt, insigni motu animum inclinât. Talis inclinatio, melan- cholico connexa temperamento, titulo avaritiæ venit, quæ cuncta, ad possessionem apta, in suam trahere potestatem an- nititur. Est enim mentis in volendo constitutio, quæ in res, possessionis propriæ ideam in nobis se excitantes, sive hu- ic subjectas, turbulento conatu fertur. Sed omnia fere pe- cunia acquiri possunt, pecuniæ ergo cupiditas nuncupatur, de qua Ovidius:

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:  
Et, cum possideant plurima, plura volunt.

§. XXIV.

*Tertia, quæ  
cum sangvi-  
neis connecti-  
tur, voluptas  
audit, quam  
mollis tactus  
externorum  
sensuum con-  
stituit idea.*

Superest aquosum in corpore principium, quod vi reliqua superans, continuo fluxu in partibus nostris, ventre in primis, tertio corporis centro physico, & organis generationis, lenem & mollem tactum quasi titillando operatur, quo potentiam mo- vet producendi mollis in sensibus affectionis ideam, ad modum inconstantis mercurii inconstantem, semperque variam. Mens, frequentissime sic commota, ideam boni, & suæ naturæ exem- plar, totamque aut maximam felicitatem facile in eo ponit, obruta simul rebus, ad sensus externos cum suavitate afflu- entibus, ac illabentibus, quæ auxilio aquosi principii, tan- quam duplici vi, mentem capiunt. Ejusmodi homines, gu- læ & veneri immodice dediti, sistunt tertiam propensi- onem aut mentis temperamentum, id est, mentis in volendo constitutionem, in res mollis in sensibus externis & delicati tactus ideam excitantes, turbulento conatu proclivem, nun- quamque exsatiandam.

Nam,



Nam, quibus intumuit suffusus venter ab unda,  
 Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

§. XXV.

Sic se habent tres hominis potentia, in effrenatas elatae propensiones. Cur autem ignis elementum ambitioni, terræ avaritiæ, aquæ voluptati consentaneum sit, id est, has propensiones movens, alens, illis, rebusque ad eas pertinentibus, suo modo obsecundans, tam explicatum dictum non est, nisi quod qualitatibus suis velut idola exprimant respondentium inclinationum, earumque ministerio sint aptissima. Kabbalistsæ, de hac re interrogati, in mente nostra, omnibusque rebus spiritualibus, materialia elementa modo eminentiori latere, cumque crassioribus, vel post corruptam naturam in materiam prolapsis, perpetuam habere internam connexionem, Φύσις namque Φύσει τέρωται, Osthannis edicto, procul dubio responderent, inclinationesque in animo spirituali ratione esse, quod nisus materialium elementorum crassiori modo sunt; (oo) omnia enim juxta eos fuisse spiritualia. Ast nolo ad horum tribunal rem deferre, ne philosophi clament, totos hosce pæne ex ipsorum choro esse sublato, nec enim, ajunt,

*Causam connexionis principiorum corporis cum volendi ideis obscuram esse fatemur.*

Auxilio tali, nec defensoribus istis

Tempus eget — — — — —

(oo) conf. Sohar נח in Genes. f. ט"ד col. ע"ה edit. Solisb.

§. XXVI.

Id tamen sicco pede præterire non possum, esse quosdam, qui tribus recensitis mentium temperamentis, quartum addunt, quorum nonnullis quarta propensio est ebriositas, vel potius nimia cibi potusque ingurgitatio. (pp) Hac enim ratione ea, quam nos cum plurimis voluptatem diximus, in duos ramos distinguitur, lasciviam nimirum, (Geilheit) & asotiam, (Böllerey) illam sanguineo, hanc phlegmatico corporis temperamento adscribendo. (qq) Verum ad salvandam phlegmaticam temperaturam, quam a reliquis tribus plane distinctam existimant,

*respondetur iis, qui tribus propensioni bus quartam addunt.*

E

tota

tota mihi divisio excogitata videtur, cui alias omnes defensores nullam mentis inclinationem tribuere norunt, Sed & illi, in quibus nullus epularum bibendique modus est, perinde ut libidinum lasciviæque mancipia, molli tactu sensuum externorum ejusque ideis delectantur, nec unquam epulo ob crapulæ incommoda, sed ob gustus continuam titillationem ventrem replet, claro testimonio, quod una eademque voluptas in iis regnet, sed diversis utens sensuum instrumentis. Si vero voluptatem aut reliquas propensiones, pro horum diversitate diversas, fingere liceret, cur non in voluptate juxta quinque sensuum numerum separatas propensiones distinguiamus, quibus sextam addere posset, cui cum celeberrimo Jac. Thomasio in tabulis physicis, si recte memini, sensus venereus pro sexto sensu sit? Nobis modestissimo dissensu judicare licebit, a sotiam idem fere cum temperamento phlegmatico factum mereri, nempe ut referatur ad voluptatem, sicuti hoc supra retulimus ad modificationes trium temperamentorū.

(pp) v. *Joh. Wolffg. Trieri Kurze Fragen von den menschlichen Neigungen prod. Lips. 1707. 12.*

(qq) v. *ib. p. 20. coll. p. 142. 144. seq.*

§. XXVII.

*trino earundem strictius asserto,*

Ita manent tres inclinationes five mentis in volendo temperamenta, accurate respondentia iis, quæ sunt in corpore. Tot enim sunt propensiones, quot principia volendi eminent in homine, sibi relicto, ast non nisi tria eminere possunt, cum tria tantum dentur in corpore regnantia principia, quæ ipsas extollunt. In sunt namq; voluntati, quatenus mens cum corpore est unita, & id, quod ad corpus pertinet, ad se quoq; pertinere credit. (rr) Adde, quicquid corporis potentiam auget, minuit, juvat vel coercet, ejus rei ideam simul mentis nostræ cogitandi potentiâ eodẽ modo efficere, ob demonstratam unionem, (ff) quæ mens simul cum impressione rerum externarum per corpus, habitu dinum, quibus hoc afficitur, particeps fit.

(rr) *conf. Budæi Phil. Pract. P. I. c. III, §. 50 — 57.*

(ff) *§. 16. h. cap.*

*breviterque*

§. XXVIII.

Quemadmodum autem prima in corporibus regnantia

tia

tia principia varie miscentur, ita vires principiorum volendi nunc propius nunc remotius connectuntur. Tales combinationes, propensionum modificationes dicimus, quarum vi dominans propensio a secunda primo, secundo vel tertio gradu &c. hæcque ab ultima eadem vel diversa propinquitate attingitur. Dantur ambitiose avari, voluptuarie ambitiosi, & avaræ voluptuarii, quid? tot dantur modificationes inclinationum diversæ, quot variationes temperamentorum corporis, id est, numero fere innumerabiles. Quod si tres propensiones non multum a semet absunt, æqualibus fere viribus (quibus eminens volendi principium cognitu difficile redditur,) instructæ, nascitur quoddam velut phlegma in mente, aut ejusmodi in volendo constitutio, quæ fere nullis boni ideis vehementer affici videatur. Jurvabit de omnibus propensionum modificationibus adire celeberrimum Christianum Thomasium, in ethica, aliisque de cognoscendis hominum inclinationibus scriptis, (tt) qui & clare ostendit, mentis temperamenta, pariter ac ea, quæ sunt corporis, vitæ tractu, quo quælibet propensionum consuetudinibus, ætatibus, aliisque causis varie attolli deprimique potest, in alios quidem gradus non vero species abire. (uu) Velle autem hic plurima modificationum generâ (omnia enim nemo scit, nisi is, qui omnia,) exponere, eaque conferre cum modificationibus temperamentorum corporis, opus majoris esset laboris quam necessitatis, aut certe tam diffusum, quod physiologiæ hujus termini non caperent.

*indicatis propensionum modificationibus.*

(tt) v. *eius* *Ausübung der Sitten-Lehr/C. XII. tot. & ejusd. Wissenschaftt anderer Menschen Gemühter zu erkennen.*

(uu) v. *Sitten-Lehr c. l. §. 17. 18. 19. it. 41. 58. ad fin. Cap. coll. Bud. Phil. Pract. P. I. §. 24. 38.*

§. XXIX.

Sat superque declarant hæcenus dicta, mentem per Patet ex o- inde ut corpus rebellantibus principiis vexari, quorum unum mnibus hisce insurgens contra alterum quietem turbat, & harmonicum inquietamen-

*is conditio,* respiciens concentum misere jactat animi cogitationes, donec  
*morsque spi-* mens per supremam propensionem, corporeis sollicitatam  
*rituabilis.* principiis, confusam ut plurimum sequitur impressionem:  
 Propensiones ipsæ sibi suisque in corpore convenientibus  
 principiis semper quærunt alimenta, arripiunt ut plurimum,  
 &, si non præsto sunt extra mentem, suis se malis cogita-  
 tionibus rerumque alunt idolis. Mens tranquillitatem tu-  
 eri hac ratione non potest, inque seipsam reflexa optat non  
 raro liberationem ex his vinculis, cum in ejusmodi condi-  
 tione beata esse non possit. Mortem sentit spiritualem, quæ  
 expelli debeat, si æterna esse velit, (ad quod perenni cona-  
 tu adspirat;) omnis enim principiorum rebellio imago mortis  
 est.

§. XXX.

*Nam prima* Quid vero ad hoc crimen perduellionis & motus  
*boni idea, si-* propensionum excentricos prima boni idea, sive tranquillus  
*ve summi bo-* summi boni amor? Alget, suspirat, monet, in vinculis te-  
*ni amor, licet* netur. Etenim ipse quidem in summum bonum, id est,  
*in omnibus* Deum fertur, & communicationem cum eo per omnes o-  
*adsit, non ta-* mnino res creatas, quatenus aliquid divini in se gerunt, quærit,  
*men juvatur,* ut origini suæ & immortalis tranquillitati connectatur, sed  
*ut propensio-* non ut trinum rebellantium propensionum auxilio juvatur  
*nes, auxilio* elementorum. Quærit quidem totius essentia humanæ  
*elementorum,* immortalem, ut reliquæ tres temporariam vitam,  
*sed est debilis-* estque id, quod simpliciter in nobis & suapte natura  
*simus,* bonum est, ut aliquid datur simpliciter & sua natura verum;  
 (ww) aut quæcunque corruptæ menti obveniunt, ad mortem  
 magis quam ad vitam ducunt, ut destituta auxiliis non si-  
 ne causa algeat,

(ww) v. *Henr. Mori opera in Ethica P.I. LI. C.V. p. 24.25.*

§. XXXI.

*eas furentes* Suspirat tamen, & monet. Ut enim purissimus æ-  
*inefficaciter* ther reliqua in corpore principia totumque pervadit corpus,  
*monet,* ita hic in mediis non raro propensionum fluctibus coram  
 adest, &, si qua menti datur quies, eandem fovere vult.  
 Sed tanquam lenis aura transit, ventorum familia furente, nec  
 ab ine

ab intelligentia, quæ, super omnes mentis actiones reflectens, mater ejus est, conservari potest.

XXXII.

In vinculis enim tenetur a tribus alte radicatis propensionibus, rerum externarum impressionibus, & viribus concurrentium corporis principiorum, fortissimis. Omnes contra eum pugnant, qui quolibet inimicorum debilior est, nec unquam cum iisdem in mixturam venit, quam vincit, & is, qui vel minima novit communicationi mentis cum summo bono apponere:

Ille per extensum funem mihi posse videtur

Ire. — — — — —

(xx) conf. Thomaf. c. l. C. XII §. 37--40.

§. XXXIII.

Diviniore igitur auxilio opus erit, quo mens ad summum bonum liberè, & propensionum soluta vinculis, aspirare queat, cum & in se & inelementis, & in cunctis hujus mundi rebus nihil, quo satis coërceri possint, reperiatur; qua meditatione ad religionē quasi manu ducitur. Quin imo, quoties, expulsis trium propensionum turbulentis viribus, ut æquali proportione tranquillo in summum bonum amori perpetuo subjiciantur, nec elementis corporis, ad æquilibrium & puritatem reductis, sollicitentur, quietum mentis in vera bona conatum concipimus, toties perfectionem voluntatis in primo homine, antequam in peccatum rueret, eamque, ad quam reducendi sumus, felicitatem umbrosa & perquam imperfecta idea ex sana ratione assequimur,

*Emanatio capitis hujus in Theologiam exponitur.*

PERORATIO.

§. I.

Atque hæc sunt, quæ ad connexionem temperamentorum corporis mentisve, qua certum temperamentum certæ semper propensioni illiusque modificationes hujus modificationibus reciproco actu respondent, in universum quasi probandam, necessaria duximus. Ad specialiora descendere nec tempus nec usus permisit. Interim & tria corporis

*Momentum ordinis addit, cum qualitatum primarum castigatione.*

E 3

tem-

temperamenta ex elementis ejusdem, & tria mentis, ex hujus in volendo principiis dedimus probata; summum quasi Numen humana imbecillitate imitaturi, qui, ut divinissima traditione accepimus, primo homini ex terra, elementari scilicet & pura, formato, postmodum spiraculum vitæ superaddidit, ut post temperamenta corporis ea, quæ mentis sunt, videamus. Quod autem hæc non ex primarum, quas appellant, qualitatum oppositionibus derivavimus, & harum oppositionum nugatoria ratio, nam siccitas e. g. nihil est, præter privationem humoris; & earundem ex elementis ortus, ad originem ergo magis respiciendum erat; & elementorum natura, altiora in recessu habens, ex quibus temperamenta fiunt, quam externas hasce ut plurimum qualitates; (yy) cum illarum defectu, quem in accuratiori, quod ajunt, deductione produnt, persuasere.

(yy) conf. *Eugenii Philalethæ Anima Magica p. m. 22.*

§. II.

Quodque & corporis & mentis temperamenta optime ex mixtura sanguinis deducenda sint,

Temperamenta etiam corporis horumque cum propensionibus connexionem, quæsumus potius in mixtura sanguinis, quam spirituum aut partium solidarum. Cernamque, sanguinis maxime receptaculum, sedes propensionum mentis potissime est, quamvis ideæ boni & mali in capite excitari concedamus, conatus tamen & ductus ad bona, qui proprie cogitatio non est, in corde percipitur, (zz) efficitque, ut animi inclinationes in cerebrum cum Cartesianis clarissimoque Bergero (aaa) collocare non queamus. Succi autem nervosi, ex sanguine resultantis, variam temperaturam, cum cerebri, quod præcipuum ejus domicilium est, alia aliaque constitutione, ad ingeniorum diversitates, id est, vires intellectus facere plurimum, ambabus manibus largimur: nobis autem cum voluntatis variationibus tantum res fuit.

(zz) *Thomas. Sitten-Behr c. l. C. III. §. 18. 19. 20. conf. Scip. Claramont. de conject. cujusq; moribus, L. IV. p. 39. sq.*

(aaa) v. ejus *Physiol. medica p. 432. sq.*

§. III.

§. III.

Antequam autem finimus, lubet adhuc ex Dickinsonii *quorum si-*  
 physica veteri & vera (*bbb*) addere, quosdam gnaros & exper- *mulacrum ex*  
 tos viros (utor verbis ipsius,) per experimenta nonnulla, *chemia pro-*  
 (quod affirmant) non oscitanter facta, adductos fuisse, ut cre- *ducitur,*  
 derent omnia, quæ de mineris humanis effodiuntur, me-  
 talla, pro varietate constitutionis hominum, unde proveniunt,  
 diversa existere, ita, ut homines indolis atque naturæ solaris  
 metallum in se gignant magis aureum, quam alii; qui vero  
 fuerint temperiei venereæ, metallum ferant in se congruens  
 cum cupro, vel, ut chemici loquuntur, cum venere: frequentissi-  
 me tamen hujusmodi metalla videntur ad plumbum, vel ad an-  
 timonii regulam (sicuti loquuntur,) assimilanda, quæ omnia ta-  
 men tinctura quædam solaris arte ex hominum corporibus pa-  
 randa, tanquam coactis spiritus irradiat. In qua consideratione  
 chemica annon imago lateat trium eminentium in corpore, &  
 regnantium in voluntate, principiorum, quæ in corpore pu-  
 rissimo æthere, & in mente reliquiis divinis  
 illius boni ideæ, quæ debilissimo licet conatu ad summum  
 bonum tendit, quasi solari spiritu penetrantur,  
 profundiori Lectoris judicio erit  
 relinquendum.

(*bbb*) C. XI. §. 46, ad fin. C.

**F I N I S.**



*Menda a typographo ob festinationem admissa, nec  
ob eandem speciatim corrigenda, benevolus Le-  
ctor excusabit.*

F I N I S

